

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0287

0285

0291

0281

0296

0276

0336

0236

0386

0186

0786

Ende

Anfang

275

in Jerusalem, non Johannem Baptistam patronum habebant
nec regulam beati Augustini sciebant, sed sub directione
abbatis et patriarchae vivebant. Sic ergo ordo Johannitarum
incepit anno Domini 1118. in Jerusalem sub Gelasio Papa
sed ad statum regularem deductus est anno Domini 1308. sub
Clemente V. in insula Rhodi.

Sunt et alii post hos dicti Hospitalarii, qui non sic nun-
cupantur ab hospitali Jerosolymitano, sed ab aliis magnis
hospitalibus, quibus serviunt, nomen et ordinem sortiuntur et
diversimode vivunt.

(B) Secundus ordo, qui sub illo rege Balduino initium
sumsit in Jerusalem, ex primo ordine crevit. Nam post ho-
spitalis ordinationem et abundantem provisionem, cum pere-
grini in maximo numero cottidie de universo mundo conflu-
rent, quidam latrunculi per vias absconditi peregrinos spo-
liabant et nonnumquam necabant et magnas caedes faciebant.
Quod videntes quidam zelosi milites in manum patriarchae Je-
rosolymitani devoverunt, se viam publicam defensuros, et cum
hoc professi sunt, perpetuo se velle vivere in castitate, obe-
dientia et sine proprio, nec erant in principio nisi decem,
quibus rex in palatio suo juxta templum concessit habitandum.
Novem autem annis post eorum institutionem in habitu fue-
runt saeculari, tandem nono anno concilio in Francia apud
Trecas celebrato anno Domini 1128. instituta est eis regula et
habitus albus assignatus cum cruce rubea de mandato Honorii
Papae. Et quia prope templum habitationem habuerunt, Tem-
plarii dicti sunt, vel milites templi, quibus beatus Benedictus
regulam composuit et frequenter eis epistolas scripsit. Sicut
autem principium eorum fuit sanctum, virtutibus plenum, ita
in posterum degeneravit a prioribus, postquam impinguati et
dilatati sunt per mundum. Unde tempore Clementis V., cum
a nostris scitum fuisse, illos ad Saracenos defecisse et in
multa vita propter rerum abundantiam prolapsos fuisse,
qui a Christianis comprehensi fuerunt, interfecti sunt, et non
modo in Asia, sed etiam in Galliis, cum ignominiose ni-
mum viverent, a Philippo, Francorum rege, concedente
summo pontifice Romano exterminati sunt, eorumque bona
opulentissima partim Johannitis, praedictis Rhodiis militibus,

18 *

